



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Benedicti XIV. ab Anno 1752. usque ad  
Annum 1757 - Cum Appendice ad Annos 1744. 1745. 1748

**Luxemburgi, 1758**

LXIX. Præscribitur ratio construendi Processus tum super statu  
Ecclesiarum in partibus infidelium existentium, & Populum fidelem  
habentium, quarum provisiones in Congregatione de Propaganda Fide ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74789](#)

corruptio, & alteratio hujusmodi extra Ditionem Ecclesiasticam patrata fuerit, quique denum hujusmodi Cedula, seu falsas, seu, ut supra, corruptas & alteratas, tam in predicta Urbe, quam in Bononiens., Ferrarien., Beneventana, aliique Civitatibus, Terris, Oppidis, & Locis Italiae, Nobis & Sedi Apostolice predictae mediate vel immediate subiectis, scienter expendisse comperti fuerint, iisdem poenis, etiam ultimi supplicii, quibus tendentes monetas aureas & argenteas, seu aliter circa eas delinquentes, juxta praemissas S. Pii V. & Urbani VIII. Praedecessorum leges & Constitutiones subiecti sunt, parviter puniantur, & cum effectu subjiciantur; &, si Ecclesiastici fuerint, etiam exempti & privilegiati, ut supra, prævia degradatione, Curie Sæculari puniendi tradantur.

Prohibicio  
alteri judi-  
candi.

Amplissima  
derogatio cō-  
trarii.

Sumptuum  
fides.

Sanctio pec-  
nalis.

Dat. 31.  
Octobris  
1756. Pont.  
anno 17.

§. 6. Atque ita, & non aliter, in quibusvis ejusdem Urbis, & Ditionis Ecclesiasticae Tribunalibus, ac per quoscumque Judices in hac materia competentes, etiam specifica & individua mentione dignos, contra delinquentes in praemissa, etiam Ecclesiasticos exemptos, & privilegiatos, ut supra, in Judicio confessos, five legitime convictos, procedi, decerni, judicari, & sententiari omnino mandamus; sublata cuiuslibet alteri judicandi & interpretandi facultate & auctoritate; ac irritum & inane decerneremus, si fecus super his a quolibet eorum scienter vel ignoranter judicari contigerit.

§. 7. Non obstante praemissa, ac quibusvis aliis, etiam Apostolicis, & in Generalibus, Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis Constitutionibus & Ordinationibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis, praefatis Ordinibus, Congregationibus, Societatisbus, & Institutis, etiam de necessitate exprimendis, nec non Militiis quibuscumque, etiam Hospitali Sancti Joannis Jerosolymitan, & aliis Religiosis ac piis locis, alias concessis, ac siepius confirmatis & innovatis; ac eorumdem, & quarumvis, etiam Urbis præfatae, nec non Bononiens., Ferrarien., Beneventana, aliarumque Ditionis predictæ Civitatum, Terrarum, Oppidorum, Castorum, & Lectorum, ac omnium & quorūcumque Tribunalium in ipsis consistentium, etiam confirmatione Apostolica, seu quavis alia firmitate corroboratis, statutis, resolutionibus, usibus, stylis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus: Quibus omnibus & singulis, eorum omnium tenores pro expressis, ac de verbo ad verbum præsentibus inferis, necnon prescriptas in ipsis derogationum formas pro plene observatis habentes, ad praemissorum effectum dumtaxat, illis alias in suo robore permanens, motu, scientia, & potestatis plenitudine præfatis, specialiter & expresse derogamus, ac sufficienter derogatum fore decernimus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 8. Volumus autem, quod præsentes in Valvis Ecclesie Lateranen., Bafilice Principis Apostolorum de Urbe, ac in aliis consuetis ejusdem Urbis locis, publicentur & affigantur; & postquam sic affixa & publicata fuerint, omnes & singulos perinde arcent & affiant, ac si unicuique nominatum & personaliter intimata fuissent.

§. 9. Nulli ergo omnino Hominum liceat hanc paginam Nostræ approbationis, confirmationis, & innovationis, extensionis, ampliationis, mandati, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei aucti temerario contrarie. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotens Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominiæ MDCCCLVI, pridie Kalendas Novembbris, Pontificatus Nostræ anno 17.

J. Card. Pro-Dat. D. Card. Passeius.  
VISA De Curia J. C. Boschi.  
Loco + Plumbi. L. Eugenius.

Præscribitur ratio construendi Processus tum super statu Ecclesiarum in partibus infidelium existentium, & Populum fidelem habentium, quarum provisiones in Congregatione de Propaganda Fide proponantur; tum super meritis præficiendorum iisdem Ecclesiis.

### BENEDICTUS PAPA XIV.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

C Ravissimum Apostolice procurationis ministerium, quod a supremo Pastorum Principe Iesu Christo per ineffabilem divine bonitatis sue abundantiam imbecillitatem Nostræ impositum est, & præclara Apostolice providentia ratio a fel. record. Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris inita, servata, ac tradita, jure ac merito a Nobis quoque exigunt, ut illa, que ipsi Romani Pontifices Praedecessores quomodolibet, ac præfertim pro forma ac dispositione promovendorum ad pastorale Ecclesiarum in infidelium partibus existentium, populaque fidelem habentium regimen statuerunt, five nova confirmatione, quod firmius subsistant, & serventur exactius, five pro rerum vicissitudine novis præscriptionibus, & additamentis indigeant, de novo deinceps approbare, & Apostolicae auctoritatis præsidio, quatenus opus sit, munire; aliique Pontificiæ benignitatis documentis, & statutis ampliare, & angere fatigamus, & admittamus.

§. 1. Sane post provida, ac salutaria decreta Concilii Tridentini super iis, qui ad Cathedrales Ecclesias promoveri deberent, fel. record. Gregorius PP. XIV. Praedecessor Noster, qui dum in minoribus esset, eidem Tridentino Concilio interfuerat, statim Apostolicas suas sub plumbo expeditas Literas dedit. In ipsis certe omnia ad hujusmodi negotium opportuna, ac necessaria continentur. Porro, quod clariss ad proxim eadem ab ipso Gregorio Praedecessore statuta reducerentur, jussi recol. mem. Urbani PP. VIII. itidem Praedecessoris Nostræ anno 1627. ex Typographia Camere Apostolice prodit in lucem Instrutio particularis circa conficiendos Processus inquisitionis in qualitates eorum, qui promovendi sunt ad regimen Cathedralium, aut aliarum superiorum Ecclesiarum, vel Monasteriorum, ad hoc ut in dictis Processibus conficiendis serventur Sacri Canones, & Concilia Generalia, præfertim Tridentinum, & Constitutionem fel. rec. Gregorii PP. XIV. super forma Processuum conficiendorum sub dat. Idibus Maiis 1591. Pontificatus sui anno primo. Hanc autem Instrutionem alia quoque subsequuta fuit, que in Congregatione particulari nonnullorum Romanæ Curiae Prelatorum deputata a fel. patriter rec. Clemente PP. XI. itidem Praedecessore Nostro, & de Nobis meritiissimo, atque in ædibus bon. mem. Josephi ejusdem Sanctæ Romane Ecclesie Cardinalis Sacrarii tunc temporis Congregatione de Propaganda Fide Praefecti die 9. mensis Octobris anno 1716. habita, maxime vertitur, cum adveniente casu vacationis, ac proinde provisionis eaurum Ecclesiarum, que sunt in partibus infidelium, & nihilominus habent populum fidelem, Processus promovendorum ad hujusmodi Ecclesias plerumque difficulter in hac alma Urbe Nostra confici possit.

§. 2. Verum cum Ecclesie, que sunt in partibus infidelium, & populum habent fidelem, proponantur in Congregatione de Propaganda

Præmium  
Pontificis  
circa ea, que  
a Praedec-  
soribus lan-  
cita sunt, pro  
iis, qui ad pa-  
storale min-  
istrum sunt pro-  
movendi.

Constitu-  
tio  
haec de re edi-  
ta a Grego-  
rio XIV. at-  
que etiam in-  
struções ab Urbano  
VIII., & Cle-  
mente XI. pro  
conficiendo in Promov-  
endos processu  
evulgaz.

Pro Eccle-  
sia, que sunt  
in partibus  
infidelium  
haud

Fide,

haud facile,  
qua in illis  
instructi-  
bus decreta  
sunt, præstari  
possunt.

Fide, & consentaneum sit, ut quantocius de iisdem provideatur, ne diutius Pastore careant cum spirituali animarum detimento; atque etiam cum Processus super statu Ecclesiarum, meritisque eligendorum, juxta laudatam utramque Instructionem, difficulter in Urbe confici possint, & experientia compertum sit, hujusmodi Procesus longius protrahi, si alicui Episcopo in illis partibus immoranti committantur, capropter Nos pro Apostolica omnium Ecclesiarum solitudine Nobis injecta a Pastorum Principe Iesu Christo, cuius supremas vices in terris plate imerentes gerimus, primum quidem Apostolica Auctoritate, tenore praesentum, utramque Instructionem tum Urbanii, tum Clementis Praedecessorum nostrorum, quas hisce praesentibus pro inferis haberi volumus, confirmamus, atque in iis, qua infra dicenda sunt, quatenus aduersentur, & opus sit, derogamus, & derogatur esse statutum; deinde vero decernimus, & mandamus, ut ad omnes & singulos Venerabiles Fratres Antistites transmittantur Interrogatoria in hisce nostris praesentibus Literis inserta. Praterea præcipimus, ut responsiones ipsi Antistites reddant, eaque sua manu subscriptibant, ac proprio sigillo obsignent. Infuper jubemus hujusmodi responsiones asservari in Archivo ejusdem Congregationis de Propaganda Fide, ut quoties vacatio alicuius Ecclesie contigerit, loco Processus super illius statu, exhibeantur. Denique volumus, ac statutum, ut cum nouis Episcopos vel Archiepiscopos possessionem Ecclesie suscepere, ad ipsum mittantur predicta Interrogatoria, quibus ut supra respondet: ex quo colligi possit, utrum spatio temporis aliqua mutatio intervenerit.

*Interrogatoria super statu Ecclesiarum Albaniæ, Macedonia, Serbie, Bulgaria, Persicæ, & Armenia.*

I. In qua Provincia sit Civitas &c.; cuius situs, qualitatis, & magnitudinis sit; quot confluerunt dominibus, & a quibus Christifidelibus inhabetur; cuius dominio in temporalibus subjaceat?

II. An in illa Civitate sit Ecclesia Cathedralis, vel Metropolitana; sub qua invocatione; cuius structura, & qualitatis? aut aliqua reparatio indiget?

III. Si est Ecclesia Archiepiscopalis, quot Episcopos Suffraganeos habeat, & qui sint? si vero est Episcopalis, cui Archiepiscopo sit Suffraganea?

IV. An in dicta Ecclesia cura animarum exercetur; per quem; an sit in ea Fons Baptismalis, an servetur Sacrosancta Eucharistia publice, an vero privatum cum lampade, nec non olea sacra cum decentia?

V. An habeat Sacrarium sufficienter instratum cum sacra suppellecili, ceterisque rebus ad Divinum cultum, & etiam ad Pontificalia exercenda necessariis; & Coemeterium, in quo Catholicorum corpora solummodo sepeliantur.

VI. An sint in ea Corpora, vel aliquæ insignes reliquie Sanctorum; & quomodo assertur?

VII. An habeat domum pro Archiepiscopi, vel Episcopi habitatione, ubi, & qualem; quantum distet ab Ecclesia; & an reparatio indiget?

VIII. Qui sit verus valor reddituum mensa Archiepiscopalis, vel Episcopalis; ad quam sumnam annuatim ascendant; & in quibus consistant?

IX. Quot existant in illa Civitate Ecclesia Parochiales; & an unaque habeat Fontem Baptismalem; quot item in illa existant Beneficia Ecclesiastica, legata pia, & Confraternitates?

Quinam ibi sint Regulares, & an Conventus formatos habeant, aut Hospitia?

X. Quantum sit ampla Diœcesis; quot, & qua loca amplectatur; & quot in singulis locis existant familia Catholica?

XI. An, & quantum, Catholica Religionis exercitum, Sacramentorum administratio, diuinique verbi prædicatio a Gubernatoribus infidelibus permittratur?

XII. Quot Sacerdotes seculares indigenæ, & exteri sint in Diœcesi; & quot Clerici sint studiorum causa in aliquo Collegio, vel Seminario?

XIII. An sit magister aliquis, qui juvenitatem in literis, & rudimentis fidei instituat.

*Interrogatoria super statu Ecclesiarum Maris Aegaei.*

I. In qua Provincia sit Civitas &c.; cuius situs, qualitatis, & magnitudinis sit; quot confluerunt dominibus; & a quibus Christifidelibus inhabetur; cuius dominio in temporalibus subjaceat?

II. An in illa Civitate sit Ecclesia Cathedralis, vel Metropolitana; sub qua invocatione; cuius structura, & qualitatis; aut aliqua reparatio indiget?

III. Si est Ecclesia Archiepiscopalis, quot Episcopos Suffraganeos habeat, & qui sint; si vero est Episcopalis, cui Archiepiscopo sit Suffraganea?

IV. Quot, & quales sint in dicta Ecclesia Dignitates, Canonicatus, & alia Beneficia Ecclesiastica; quis sit numerus omnium Presbyterorum, & Clericorum inibi in Divinis inservientium; quæ sit Dignitas major post Pontificalem; quales sint redditus Dignitatum, Canonicatum, & aliorum Beneficiorum; & an ad finit præbenda Theologalis, & Penitentiaria?

V. An in ea cura animarum exercetur; per quem; an sit in ea Fons Baptismalis?

VI. An habeat Sacrarium sufficienter instratum sacra suppellecili, ceterisque rebus ad Divinum cultum, & etiam ad Pontificalia exercenda necessariis, Chorum, Organum, campanile cum Campanis, & Coemeterium?

VII. An sint in ea Corpora, vel aliquæ insignes reliquie Sanctorum; & quomodo assertur?

VIII. An habeat domum pro Archiepiscopi, vel Episcopi habitatione, ubi, & qualem; quantum distet ab Ecclesia; & an reparatio indiget?

IX. Qui sit verus valor reddituum mensa Archiepiscopalis, vel Episcopalis; ad quam sumnam annuatim ascendant; in quibus consistant?

X. Quot existant in illa Civitate Ecclesia Parochiales; & an unaque habeat Fontem Baptismalem; quot Monasteria virorum, & mulierum; quot Confraternitates, & Hospitalia; & an ibi sit Mons Pietatis?

XI. Quantum sit ampla Diœcesis; quot, & qua loca amplectatur; quot in singulis locis existant familia Catholica; an, & quantum, Catholica Religionis exercitum, Sacramentorum administratio, Divinique verbi prædicatio a Gubernatoribus infidelibus permittratur?

XII. Quot Sacerdotes seculares indigenæ, & exteri, sint in Diœcesi; & quot Clerici sint studiorum causa in aliquo Collegio, vel Seminario?

XIII. An sit magister aliquis, qui juvenitatem in literis, & rudimentis fidei instituat?

S. 3. Qui ad hujusmodi Ecclesias promovendi sunt, si Romæ adserint, vel in Italia; Procesus super qualitate personæ conficiatur: Si vero

Quid in pro-  
cessu super  
qualitatibus  
promovendi  
servandæ sit,  
prescribitur.

extra Italiam morentur, ac duo testes in Urbe sint, qui possint de illis ferre testimonium, tunc idem Processus super qualitate personæ minime prætermittatur. Quod si prædicti testes non adint, tunc sufficiens habeatur judicium ejusdem Congregationis, quæ illum a Summo Pontifice eligendum consuluit.

*Interrogatoria super qualitatibus Promovendi.*

I. An cognoscat promovendum, quomodo, a quo tempore citra; an is sit ejusdem promovendi consanguineus, cognatus, affinis, nimirum familiaris, æmulus, vel odiosus?

II. An sciat, in qua Civitate, vel loco, & Diœcœsi, promovendus sit natus; & quæ sit causa scientia?

III. An sciat, ipsum esse natum ex legitimo matrimonio, atque honestis, & Catholicis parentibus; & quæ sit causa scientia?

IV. An sciat, cuius ætatis sit, præsertim an expleverit annum trigesimum; & quæ sit causa scientia?

V. An sciat, eum esse in sacris ordinibus constitutum; quibus, a quo tempore citra, præsertim an ante sex menses; & quæ sit causa scientia?

VI. An sciat, eum esse in Ecclesiasticis functionibus, & in exercitu ordinum suscep-torum diu versatum in susceptione Sacramentorum frequentem, & devotum; & quæ sit causa scientia?

VII. An sciat, eum semper Catholice vivisse, & in fidei puritate permanuisse; & quæ sit causa scientia?

VIII. An sciat, eum prædictum esse innocentia vitæ, bonisque moribus, & an sit bona conversationis, & famæ: & quæ sit causa scientia?

IX. An sciat, eum esse virum gravem, & prudentem, & usu rerum præstantem; & quæ sit causa scientia?

X. An sciat, eum aliquo gradu in Jure Canonico, vel in sacra Theologia insignitum esse; quibus in locis; quanto tempore; & quo fructu ipsi Theologia, vel Juri Canonico operam dederit; & an vere ea doctrina pollet, quæ in Episcopo requiritur, ad hoc, ut possit alios docere; & quæ sit causa scientia?

XI. An sciat, eum aliquo munere aliquando functum esse, vel circa curam animarum, aut regimen alterius Ecclesiaz se exercitare; & quomodo in eis se gesserit, tam quoad doctrinam, quam quoad prudentiam, integratem, & mores; & quæ sit causa scientia?

XII. An sciat, eum aliquando publicum aliciquid scandalum dedisse circa fidem, mores, sive doctrinam; vel aliquo corporis, aut animi vitiis, aliœva Canonico impedimento teneri, quominus possit ad Ecclesiam Cathedram promoveri; & quæ sit causa scientia?

XIII. An eum idoneum esse existimet ad bene regendant Ecclesiam Cathedram, & præsertim eam, ad quam ipse est promovendus; an dignum, qui ad illam promoveatur; & an ipsius promotionem eidem Ecclesiaz utiliem, & proficiam futuram esse censeat; & quare ita existimet?

§. 4. Si quis Episcopus ab una Ecclesiaz ad aliam transferendus sit, tunc observentur ea omnia, quæ num. 1. decernuntur, quoad Processum super statu Ecclesiaz; pro altero vero, qui conficiendas erit super qualitate transferendi, ea serventur, quæ num. 2. prescribuntur.

*Interrogatoria super qualitate Episcopi ad alteram Ecclesiam transferendi.*

I. An testis cognoscat Episcopum transfrendum; quomodo, & a quo tempore citra; an sit ipsius consanguineus, cognatus, affinis, nimirum familiaris, inimicus, æmulus, vel odiosus?

II. An sciat, ipsum consecrationis munus suscepisse; & quæ sit causa scientia?

III. An sciat, per quot annos fuerit Episcopus illius Ecclesiaz; & quæ sit causa scientia?

IV. An sciat, eum in sua Ecclesia, & Diœcœsi assidue resedisse; & quæ sit causa scientia?

V. An sciat, eum diligenter sepedictam suam Ecclesiam, & Diœcœsum visitasse; opportune omnibus necessitatibus occuruisse, & prævidisse; ejusque decreta, & mandata debita exequutioni demandari curasse; & quæ sit causa scientia?

VI. An sciat, eum sepe solemniter celebrasse; Ordinationes juxta necessitatum exigentiam habuisse; Confirmationis Sacramentum administrasse; ceteraque Pontificalia exercuisse; & quæ sit causa scientia?

VII. An sciat, eum pietatis, caritatis, & prudenter in gubernando speciem dedisse, ac verbo, & exemplo prosecuisse; & quæ sit causa scientia?

VIII. An sciat, eum prudenter ubilibet, & diligenter se gessisse in defendendis, conservandis, & augendis jurisdictionibus spirituali, & temporali, iuribus, ac bonis omnibus sua Ecclesiaz; & quæ sit causa scientia?

IX. An sciat, vere ea doctrina ipsum ad præsens poillere, quæ in Episcopo requiritur, ad hoc, ut possit alios docere; & quæ sit causa scientia?

X. An dignum eum existimet, qui transfratur ad Ecclesiam N.; & an censeat, ejus translationem fore ipsi Ecclesiaz N. utiliem, & proficiam; & quare ita existimet, & censemus?

§. 5. Denique cum pro Vicariis Apostolicis titulo, & charaktere Episcopali insignitis nullus Processus conficiatur super statu Ecclesiaz; attamen si in Urbe, vel in Italia commorenatur, sin autem extra Urbem, & Italiæ extinerit, ac duo testes in Urbe reperiatur, qui testimonium ferre possint, tunc fiat Processus super qualitate personæ. Processus vero in hac alia Urbe Nostra conficiendi omnino conficiantur coram Nobis, & pro tempore existentis Romani Pontificis Auditore. Quod si etiam testes deficiant, sufficiens habeatur judicium ejusdem Congregationis, quæ illum a Summo Pontifice eligendum consuluet.

§. 6. Omnia itaque, & singula a Nobis, ut præmittitur, præscripta, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, approbamus, & confirmamus; illisque inviolabilis Apostolicae firmatatis robur adjicimus: salva tamen semper auctoritate memorata Congregationis de Propaganda fide. Decernentes, præsentes Literas, & in eis contenta quacumque, semper firma, valida, & efficacia existere, & fore; suoq[ue] plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabat, inviolabiliter observari debere: sicutque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palati Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, & eorumdem Cardinalium Con-

Quid dema  
in Vicariis  
Apostolicis  
charaktere E-  
piscopali in-  
figitur?

Firmatati  
præmissorum  
conficiuntur.

gregations, & quosvis alios quacumque præminentia, & potestate fungentes, & functueros, judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, quidquid fecis super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, & quibusvis aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quibuscumque Decretis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Sumprimum  
fides.

S. 7. Volumus autem, ut earundem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu Præfecti, & Secretarii præfate Congregationis subscriptis, & sigillo ejusdem Congregationis manutis, eadem prorsus fides habeatur, quæ ipsis presentibus habetur, si forent exhibite vel ostense.

Dat. die 18.  
Januar. 1757.  
Pontificatus  
XVII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Anulo Piscatoris die 18. Januarii MDCCCLVII. Pontificatus Nostri anno decimo-septimo.

Cajetanus Amatus.

## LXX.

Confirmatur Decretum Congregationis Sanctae Romanæ Ecclesiæ Cardinalium universali adversus hæreticam pravitatem Inquisitionis Praepositorum, coram Sanctitate Sua habite, pro tollendis concilandiisque diffidiis & controversiis, inter nonnullos Antistites Indiarum Occidentalium, & Missionarios Societatis Jesu, exortis, super concessione Dispensationum Matrimonialium, juxta facultates ab Apostolica Sede utrisque concedi solitas.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Ad futuram rei memoriam.*

Catholici  
Regis studiū  
pro tollendis  
diffidiis inter  
Missionarios  
Soc. Jesu, &  
Ordinarios  
locorum in  
Indiis circa  
dispensatio-  
nes, quod  
impedimenta  
Matrimo-  
nii, excitata.

Libentissime a Pontifice  
præstata  
ad hoc negotiū  
opera,  
coacta coram  
Cong. Cardi-  
nalium S.  
Officii.

Cum Venerabilis Frater Noster Joachimus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Portocarrero nuncupatus Episcopus Sabinensis, nomine Carissimi in Christo Filii Nostri Ferdinandi Hispaniarum Regis Catholici, cuius regis negotiis apud Nos & Apostolicam Sedem agendis præfæctus, Nobis exposuerit, oboris quibusdam dubiis circa facultates concedendi Dispensationes Matrimoniales, quibus Dilecti Filii Presbyteri Societatis Jesu, Missionarii per Indias Orientales & Occidentales constituti, ex Apostolice Sedis Indultis gaudere dicuntur, & circa hujusmodi facultatum usum & exercitum; ad removendas diffensiones inter eosdem Presbyteros Missionarios, & Ordinarios locorum, sedansque conscientiarum & animorum motus, Nostram ejusdemque Apostolice Sedis definitionem magnopere exoptari; cumque, præter urgens pastoralis cura & sollicitudinis debitum, quo ad hujus præfertim generis officia impellimus, gratissimum Nobis accidat justis semper & æquis præfati Catholici Regis votis obsecundare; flatim propriae materie discussione demandavimus Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, in rebus Fidei, aliquique Sancti Officii nuncupati negotiis Generalium Inquisitorum; haud tamen propter refugientes laborem studiumque singula per Nos ipsos inspiciendi atque discutiendi. Itaque coacta coram Nobis die 29. Julii elapsi anni 1756. prædictorum Cardinalium Congregatione, auditis etiam prius Confultoribus, tum Sacrae Theologie Magistris, tum Canonici Juris Peritis,

captæ editæque fuerunt sequentes resolutiones, distinctim expresse in infra scripto Decreto, quod ipsis jam tum approbavimus & confirmavimus, cujusque tenor talis est, videlicet.

Hac editum  
ab ea decre-  
tum.

## DECRETUM.

Cum olim R. P. Ignatius de Padilla, quo tempore Civitati Sancti Dominici in Insula Hispaniola Indiarum Occidentalium prærerat Archiepiscopus, complures excitasset controversias aduersus Presbyteros Societatis Jesu, circa Dispensationes Matrimoniales, quibus nimis ipsis, in vim specialium facultatum sibi, ut afferabant, competentium, cum Neophytes Indiarum Orientalium & Occidentalium, super impedimenta Matrimonii dirimiribus, & antea dispensaverant, & adhuc dispensare pergebant; cumque subinde R. P. Joseph Moreno Curiel, qui, postquam præfatus R. P. Ignatius ad Ecclesiam Jucatanensem in Indiis Occidentalibus Hispanicis sitam translatus fuit, eidem in Archiepiscopatu Sancti Dominici successit, illius actionem ea de re studiūque proficuitus fuerit; ut hujusmodi controversiis quantocius finis imponatur, infra scripta dubia proposita, discussa, & direpta sunt a Santissimo N. D. BENEDICTO PP. XIV. feliciter regnante, audita prius sententia & consilio Reverendissimorum DD. Cardinalium Generalium Inquisitorum in Congregatione coram Sanctitate Sua habita die 29. Julii anni 1756.

Dubia autem proposita sunt, quæ sequuntur: Primun, an facultates in Apostolicis Brevibus concessæ Presbyteris Societatis Jesu, qui Missionariorum monas per Indias exercent, atque illæ possitissimum, quæ Matrimoniales Dispensationes respiciunt, ad eas Provincias protendantur & loca, que pluribus abhinc annis ad Sanctam Catholicam Religionem redacta sunt, in quibus reperiuntur Infideles aliquando profecti, & ultro Christi Fidei amplexi; adeo ut Missionarii operam studiūque suum impendant, non quidem in iis ad Sanctam Religionem converteridis, sed tantummodo in iis Christianæ Doctrine institutionibus, rectisque moribus informandis.

Secundum: quatenus memoratae facultates ad hujusmodi Regiones protendantur, ac præterim facultas concedendi Dispensationes quoad prædictorum Matrimonii exerceri valeat; an id ita accipendum sit, ut concessa dicatur auctoritas dispensandi super impedimentis publicis pro foro externo, tum ante, tum post contractum Matrimonium.

Tertium: an posita extensione facultatum ad publica quoque impedimenta pro foro externo, & in casibus contrahendi, æque ac jam contracti, Matrimonii, hujusmodi facultatibus uti possint Missionarii per ea loca, in quibus Episcopos Diœcesanis eisdem obtinet facultates fibi ab Apostolica Sede peculiaribus Indultis concessas.

Quartum: et si possint Missionarii Dispensationes concedere, siisque uti facultatibus etiam pro foro externo, an tamen id ipsis præstare licet sine prævia summaria Informatione, coram Notario, locisque Vicario capta, ad comprobandas dispensationis causas, & impedimentorum qualitates; an potius satius ad id habenda sit verbalis & extrajudicialis instruclio seu informatio.

Quintum: an, quatenus hujusmodi facultates concessæ tantummodo dignoscantur Missionaris ad laborantibus pro conversione Infidelium, & non aliis; revalidanda sint Matrimonia celebrata in vim dispensationum, quas pro exteriori foro induſſent Missionari illi, qui in tradendis Fidei rutiumentis, informandisque moribus solummodo exercentur.

Occasio  
obortæ con-  
troverſie re-  
cenſetur.

Dubia pro-  
posita in  
Congreg.